



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 4. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

S E C T I O I V.

Solvuntur Opposita.

276. **O**bjicies 1. contra primam assertionem : dominium non est formaliter jus, sed quid prius jure : ergo non bene definitur per jus. Probat^{ur} ant. Ideo Petrus habet jus in re aliqua ad omnem usum, & dispositionem, quia est ejus Dominus, & non econtra : ergo &c. Resp. 1. neg. ant. ad probationem dist. ant. quoad primam partem, ideo causaliter, nego, ideo formaliter, conc. primam, & distincta eodem modo secunda parte antecedentis, nego consequ. Ratio est, quia *ideo* ex communi hominum acceptione potest dupliciter sumi. Primò causaliter, sic dicimus, ideo existit Petrus, quia Deus illum produxit, cumque causa, & effectus sint duo realiter distincta, exinde quando in hac acceptione dicimus : ideo datur unum, quia datur aliud, significamus duo essentialiter distincta. Secundò sumi solet formaliter, quando nempe ex ratione formali constitutiva affirmamus constitutum, vel econtra ; cumque ratio formalis constitutiva, & constitutum non sint realiter duo, sed unum, quando *ly ideo* in hac acceptione sumitur, non significamus duo realiter distincta, sed unum, & idem. Sic dicimus, ideo est homo, quia est animal rationale, ideo est animal rationale, quia est homo ; ideo Petrus potest intelligere, quia habet intellectum, ideo habet intellectum, quia est potens intelligere. In hoc ergo sensu dicimus, ideo Petrus est Dominus, quia habet jus perfectè disponendi de re, & econtra, ideo habet intellectus jus, quia est Dominus ; unde non significamus distinctionem realem, sed identitatem inter utrumque.

277. **O**bjicies 2. Ille, qui est usufructuarius alicujus rei, habet jus perfectè disponendi de illa re, sive utendi illa ad omnes usus, nisi lege prohibeatur : atqui usufructuarius non habet dominium plenum circa rem ; ergo dominium plenum non bene definitur dicendò, quòd sit jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Confirmatur. Quilibet homo habet jus disponendi de omnibus rebus mundi perfectè, sive ad omnes usus, nisi lege prohibeatur : & eatenus non potest disponere ex jure suo, quia lege prohibetur : atqui non habet dominium plenum circa res omnes mundi : ergo &c. Resp. neg. maj. quia usufructuarius non habet jus disponendi perfectè de re, sed disponendi tantum imperfectè, ideòque non habet facultatem ad omnes rei usus ex jure suo, sed tantum ad aliquos ; ut enim haberet jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur, opus erat, quòd adveniente lege prohibente, retineret jus quavis ligatum, & impeditum ; cumque usufructuarius non retineat jus adhuc ligatum, & impeditum ad perfectè utendum re illa, exinde non habet jus perfectè disponendi de illa re, nisi lege prohibeatur ; sunt enim duo valde distincta,

& diversissimæ sunt istæ duæ leges, altera, qua alicui prohibetur usus rei, quia non habet jus circa illam, & altera, qua alicui prohibetur usus juris, quod habet, ut statim dicemus.

Ad confirmationem neg. maj. quoad utramque partem ; ratio est, quia dupliciter potest lex prohibere alicui usum rei. Primò quidem prohibendò usum rei, ad quam jus non habet. Sic prohibentur homines uti re non sua ; secundò prohibendò usum rei, ad quam jus habet ; sic prohibetur pupillus uti re sua. Prima lex non ligat jus, sed ligat hominem ; quia jure caret, & hæc non supponit in homine dominium circa rem, ac proinde neque supponit jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Secunda lex non ex eo titulo ligat hominem, sed quia ligat jus hominis in re ; & hæc supponit in homine dominium circa rem, quòd si sit plenum, eo ipso per legem supponitur ligatum jus perfectè disponendi de re ; idcirco sæpe contingit, quòd personæ tollatur impedimentum, ut possit re licite uti, qua uti non poterat, quia lege prohibente ligata erat, quin tollatur impedimentum juris, quòd quia nunquam existit, nunquam fuit lege ligatum. Sic ille, cui conceditur simplex usus facti omnino, & semper revocabilis, manet expeditus ad usum rei, & liber à legis vinculo, quo ligabatur, quin concedatur illi jus ullum ad rem, vel in re, ut dicemus infra, tum etiam pauperi in extrema necessitate constituto tollitur ligamen, quo non poterat uti re aliqua, quia non erat sua, nec habebat licentiam utendi, quin illi conferatur jus, ut constat ex dictis à num. 29. & 5. Unde clarè apparet, quàm malè deducatur, esse ligatum jus ex eo, quòd sit ligata persona, vel quòd quilibet homo habeat jus disponendi perfectè, sive ad omnes usus de omnibus rebus mundi, nisi lege prohibeatur.

Objicies 3. Dominium directum nudum, seu separatum ab utili, est dominium plenum : sed non est jus perfectè disponendi de re : ergo non bene definitur dominium plenum dicendò, quòd sit jus perfectè disponendi de re. Probat^{ur} maj. qui habet dominium directum nudum lege ligatum, non minùs habet suum jus ligatum, quàm pupillus, sed dominium pupilli est dominium plenum : ergo dominium directum nudum est etiam dominium plenum. Confirmatur 1. Ad dominium plenum satis est jus disponendi de re, præsertim in propriam utilitatem : sed tale est dominium directum nudum : ergo &c. Confirmatur 2. Qui possident majoratum, quem alienare non possunt, sive fidei commissum, non habent jus perfectè disponendi de re : atqui habent dominium plenum ; aliter nullus esset plenè Dominus illorum bonorum : ergo ad dominium plenum non requiritur jus perfectè disponendi de re.

Resp. neg. maj. ad prob. dist. maj. non minùs habet ligatū jus suum adæquatū, N. inadæquatū, C. M. & conc. min. neg. consequ. quia cum lex nullam partem juris asserat, neque ablatam suppo-

supponat in pupillo, ligat in illo adæquatum jus circa rem; at cum in Domino purè directo non supponatur adæquatum, sed inadæquatum jus, exinde lex in illo non ligat adæquatum, sed inadæquatum jus; ut enim ex ipsis terminis constat, quantum juris accipit usufructuarius, tantum amittit Dominus purè directus; cum autem usufructuarius accipiat jus utendi, & fruendi, ut constat à num 217. consequens est, ut Dominus purè directus jus illud amittat, proindeque non retinet adæquatum jus circa rem, si ve ad disponendum perfectè de re. Ad primam confirmationem dist. maj. jus disponendi de re perfectè, conc. imperfectè tantum, neg. maj. & distincta min. neg. conseq. nam licet Dominus directus habeat jus vendendi, & alienandi rem in propriam utilitatem, possitque alias utilitates percipere, de quibus diximus num. 239. at cum est Dominus purè directus, non potest vendere, nisi cum gravamine, quod habet relinquendò usufructuario jus suum utendi, & fruendi. Ad secundam confirmationem dist. maj. quem alienare non possunt, si impotentia ad alienandum proveniat ex defectu juris ad alienationem, neg. maj. si proveniat ex lege irritante alienatione, & ligante jus ad illam, conc. maj. & distincta pariter min. nego conseq.

11. Duplex itaque est sententia apud Authores circa majoratum, fidei commissum, & alia bona vincularia, quæ alienari non possunt. Prima, quam cum pluribus Jurisconsultis tenet Eminentissimus de Lugo disp. 2. sect. 1. num. 6. docet, illis, quibus majoratus confertur, non conferri jus ad alienationem; unde non habent jus perfectè disponendi de re, ideoque non habent perfectum dominium; nec est ulla persona realis, sed persona ficta à jure, nempe tota integra familia, penes quam dominium plenum eorum bonorum vinculatorum resideat; si enim ille, qui possidet majoratum, alienet bona vincularia, tenetur ad restitutionem; ex quo apparet, non esse illi collatum jus ad alienationem, neque esse plenè Dominum, juxta L. si duobus, §. sed quia, Cod. communia de legatis, ubi hæres habens aliqua bona, quæ post aliquod tempus jussus est alicui restituere, non dicitur interim habere dominium plenum illorum bonorum.

11. Secunda sententia, quam cum pluribus aliis Jurisconsultis defendit Molina Tract. 2. disp. 3. censet, illum, qui possidet majoratum, habere jus ad alienationem, & ad omnes rei usus, impeditum tamen, & ligatum, L. irritatio alienationis, ac proinde esse plenè Dominum. Nec refert, quòd si alienet in sensu composito illius legis ligantis jus, & irritantis alienationem, teneatur restituere: quia ea lex ideo ligat jus possidentis, ne validè alienet, ut post mortem ipsius totum illud jus transferatur ad successorem, cumque transferri non posset, si possessor casu, quo alienaret, non teneretur restituere, exinde patet, obligationem restituendi ortam ex superaddito titulo legis volentis trans-

ferre totum illud jus in successore non pugnare cum pleno jure ligato, quod inest possessori. Accedit, quòd si possessor alienandò aliqua ex illis bonis, dat illa Petro, à quo recipit pretiū, cum recipiat pretium propter rem, quam vendere non potest, tenetur restituere pretium Petro, contra quem commisit injuriam, vel tenetur pretium illud applicare majoratui, vel fidei commissio, ut maneat, quale debet transferri in successorem; per hoc autem minimè inferitur, quòd non habeat plenum jus, quamquam ligatum in ordine ad effectum alienandi; lex verò illa si duobus non faver Adversariis, quia talis hæres in ea lege neque affirmatur, neque negatur, quòd sit plenè Dominus; unde non ex ista, sed ex aliis inferendum est, an sit, vel non sit plenè Dominus.

Fateor equidem, neque desumi posse argumentum ad probandum dominium plenè possidentis majoratum ex eo, quòd leges possent dare illi adæquatum jus, licet impeditum quoad effectum alienandi, sicut neque desumi potest argumentum ad probandum, quòd non sit plenè Dominus, ex eo, quòd leges possent conferre illi jus inadæquatum tollendò jus illud ad alienandum; siquidem ex potentia ad actum consequentia est nulla; at pro solutione nostra satis est, quòd leges & unum, & alterum possint decernere; dicimus enim, quòd si conferatur adæquatum jus, quamvis ligatum ad alienandum, eo ipso confertur dominium plenum, si verò non conferatur jus adæquatum, dicimus, quòd eo ipso non confertur dominium plenum; hoc enim satis est ad assertionem nostram sustinendam, neque hoc ullo modo impugnatur ab Adversariis; quin potius censeo, doctrinam hanc certam esse, atque ex principiis hucusque jactis legitime deduci; nihilominus, ne rem istam indecissimè relinquamus,

Censeo insuper cum Molina supra cit. non solum potuisse, sed etiam defacto leges dedisse adæquatum jus illi, qui possidet majoratum, & fidei commissum, licet ligatum quoad effectum alienandi. Ratio est, quia ita videtur expressè decerni in L. generaliter, §. sub conditione, ff. qui, & à quibus, ubi dicitur: sub conditione servus legatus, pendente conditione pleno jure hæredis est: sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario injuria fieret, si scilicet impleteretur conditio, ad eumque eo ipso pertineret; unde quando aliquis ea de culpa alienare non possit rem aliquam, quia adveniente morte possessoris, aut impleta aliqua conditione res illa transiit fit in dominium alterius, non tollit, quo minus ante mortem, aut ante impletam conditionem, sit juxta constitutionem legum, perfectus, & plenus Dominus is, qui illam possidet. Idem probant alia jura, ut L. non ideo, ff. de rei vindicta. L. Titia jus testamento, ff. de legat. L. septies ff. de auro, & argento legato, L. finalis, ff. de usufructu earum rerum, & L. de legatis.

Id ipsum suadet ratio: nam Princeps potens in lege dispensare, cum aliquando concedit pos-

essori facultatem alienandi res aliquas vincula-
tas, nullum concedit jus, aut dominium, ne-
que possessor eam facultatem postulans, petit,
quod Princeps concedat illi ullum jus, aut do-
minium, sed quod tollat legis vinculum circa
ea bona, quæ proinde dicuntur vinculata, quo
vinculo ablato ex jure, & dominio suo alienare
possit, atque ista in casu simili videtur esse om-
nium persuasio; ex quo deducitur, possessorem
vinculi majoratus, aut fidei commissi in omni
existimatione retinere plenum jus circa illa bo-
na, licet ligatum, & impeditum à lege irritan-
te alienationem ex fine, ut ea bona transeant
cum eo vinculo ad hæredem. Quare ad inven-
iendum plenum Dominum, non est necesse re-
currere ad personam fictam: cum juxta leges,
omniumque existimationem, ex quibus optima
habetur legum interpretatio, & expositio, de-
signari possit persona realis, quæ eo pleno do-
minio gaudeat. Hæc autem ratio non militat
pro uxore respectu rerum dotalium, cum mari-
tus ex lege retineat earum usumfructum, qui pars
juris est, ut constat à n. 217. Vide ad n. 289. 266.

286. Obijcies 4. contra secundam assertionem. Si
ad acquirendum dominium requirerentur regu-
lariter titulus, & possessio, dominium habere-
tur tanquam ex forma, ex titulo, & possessione,
proindeque dominium, quod in casibus à jure
exceptis acquireretur sine possessione, distin-
gueretur specie à dominio, quod sine possessione
non acquiritur: sed hoc absque ullo fundamen-
to diceretur: ergo vel ad acquirendum domini-
um non requiritur regulariter possessio, vel in
nullo casu acquiri potest sine possessione. Con-
firmatur. Possessio juridica nunquam amittitur
manente titulo, alioquin neganda esset *L. si pi-
gnus, ff. de pignoratitia actione*, ubi dicitur: *Si
pignus mihi traditum perlocassent Domino, per
locationem retineo possessionem, quia antequam
conduceret debitor, non fuerit ejus possessio: cum
et animus mihi retinendi sit, & conducenti non
sit animus possessionem adipiscendi*: ergo sufficit
regulariter titulus ad acquirendum dominium.

287. Resp. ex dictis num. 235. dist. maj. si lex sit
conditionata, fiatque essentialiter per eos titu-
los absoluta, conc. si lex sit absoluta, recipiat-
que eos titulos, ut puros terminos, neg. maj. &
distincta pariter min. nego consequentiam. Ra-
tio est, quia si illi tituli constituunt legem abso-
lutam, non aliter ab illis proveniet dominium,
nisi quatenus provenit à lege absoluta subjici-
ente rem alicui in bonum suæ libertatis, ut con-
stat à num. 209. quo in sensu una lex non di-
stinguitur specie ab altera, licet aliunde mate-
rialiter distinguatur, ac proinde ex eo capite
non potest unum dominium formaliter specie
ab altero distingui; si autem titulus, & posses-
sio considerentur ut puri termini, quos sibi præ-
fixit lex absoluta collativa juris, & domini, illud jus, & dominium non possunt constitui ex
titulo, & possessione, sed ex sola lege, tanquā
ex forma, ut constat ex dictis à num. 223. Quo-
modo cognoscatur lex conditionata, & absolu-

ta, aut votum conditionatum, & absolutum,
dixi num. 98. de Sacramentis.

Ad confirmat. neg. ant. quia sicut potest dari
titulus sine possessione, ut constat in illo, qui
est institutus hæres ex testamento, qui ante-
quam adeat hæreditatem, habet titulum sine
possessione; ita potest amitti possessio, quin a-
mittatur titulus, neque lex illa, quæ allegatur,
docet oppositum, quia ea locatio pignoris, de
qua agit textus, est, quando conductor non ac-
quirit illam sibi, sed vice venditoris, proinde-
que ea possessio corporalis censetur manere in
creditor, in quo nullum manet jus in pignore,
ut constat à num. 295. ex quo roboratur ulterius
nostra doctrina. Videatur *Hognotat. Tra-*
ctatu 2. de hypothecis disp. 38. sect. 6. n. 36.

Obijcies 5. præsertim contra conclusionem.
Quotiescunque lex prohibet aliquem usum do-
minii, eo ipso tollit particulam aliquam juris,
& domini: ergo siue dentur, siue non dentur
titulus simul, & possessio, nunquam potest ligan-
ri à lege plenum rei dominium. Probatur ant.
Eo ipso, quod lex prohibeat aliquem usum do-
minii, manet peccaminosus, & turpis talis usus,
sed exinde tollitur jus ad contrahendum, siue
ad dandum aliquid pro eo usu, ad quem antea
dabatur jus, & dominium: ergo eo ipso tollitur
aliqua particula juris, & domini. Confirmatur.
Si aliquis ita contraheret, dabo tibi centum,
ut Petrum interficias, ille contractus non solum
esset illicitus, sed etiam invalidus; atqui in in-
telligibile est, quomodo ex lege præcisè, quæ
prohibente reddatur contractus invalidus, nisi
quia ex præcisà lege prohibente tollitur aliqua
particula juris, & domini: ergo &c.

Resp. neg. ant. ad probat. conc. maj. & neg.
min. quia Dominus nunquam habuit jus, quo
altereretur obligare posset ad usum quæ prohibi-
tum, siue in sensu composito prohibitionis, sed
ad usum quæ non prohibitum, siue in sensu di-
viso à prohibitione; unde cum retineat jus ad
illum usum pro casu, quo aufferatur prohibitio,
exinde nullam amittit particulam juris sui, sed
potius retinet totum suum jus, quamvis ligatum,
& impeditum. Ad confirmationem dist. maj.
sed etiam invalidus relatè ad obligandum alterum
ad peccandum, C. relatè ad obligandum se ipsum
ad dandum aliquid alteri casu, quo præsuppo-
natur jam perpetratum peccatum, quod secum
aliquid assert prætiò æstimabile, neg. maj. &
sub eadem distinctione neg. min. & consequen-
tiam. Ratio est, quia in eo contractu non in-
tenditur dari aliquid pro peccato, siue pro mali-
tia, quæ cum digna prætiò non sit, exinde præ-
tium non tendit ad compensandam malitiam.

Quare in opere peccaminoso perpetrato,
quod veniebat ut conditio in eo pacto, non so-
lum est consideranda malitia, sed etiam labor,
periculum, detrimentum fortunarum, & simi-
lia, quæ executor suæ causæ subiit. Item fide-
litas, quam tibi præstitit, & volupras, aut utili-
tas, quæ tibi inde provenit; siquidem hæc apud
homines digna prætiò æstimantur; nec refert
quod

quod malitia perpetrata sit illis annexa, nam hæc omnia possunt seorsim à malitia operis considerari, attendendò quanto pretio digna essent, si absque peccato haberentur, quod certè in bonis etiam operibus sæpe contingit, in quibus labor, periculum, damnum, & id genus alia possent considerari per se, & præcisa ab operis sanctitate, ita ut non committatur simonia, possitque pretium retineri; quia in ea materia, utpote non pertinenti ad materiam beneficiorum, ingressu religionis, aut ordinem, non datur lex invalidans illum contractum, ut docent plures cum Thoma Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 111. & 113. Unde Lessius lib. 2. de iustitia, & iure cap. 18. dubitat. 3. ait: quod si quis pacificatur dare Sacerdoti centum aureos, ut in loco, ubi est periculum capitis, semel faciat Sacrum, periculum reverà abstrahitur ab operis sanctitate, & pretio æstimatur absque culpa simoniæ; quare in malis, de quibus agimus, poterunt periculum, labor, & id genus alia pretio æstimari abstractim à malitia.

Objicies 6. instandò simul solutionem. Eo ipso, quod ex vi legis prohibentis non possit Dominus dare centum, ut fiat peccatum, neque poterit obligari ad dandum centum post perpetratum peccatum propter id, quod annexum fuit pretio æstimabili: ergo ex vi legis prohibentis amittit aliquam particulam juris, & domini. Probat ant. Eo ipso, quod non possit Dominus dare centum, ut fiat peccatum, contractus ille dandi centum, ut fiat peccatum, ante peccati perfectionem est re ipsa nullus, neque aliam parit obligationem, nisi recedendi à contractu, ut constat ex Jure Canonico, & rationibus adductis à num. 264. sed ex eo, quod contractus fuerit ab initio nullus, nequit fieri postea validus adhuc superveniente, & præsupposito peccato, ut planum fit ex regulis Juris tum Canonici, tum Civilibus; etenim regula 18. juris in 6. ita habet: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*; tum etiam regula 30. Juris Civilis: *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, idemque ferè habent regulæ 149. & 210. tum etiam leges adductæ à num. 271. ergo &c.

Propter hoc argumentum aliqui Theologi, & alii etiam Jurisconsulti, quos citat Covarruvias ad regulam peccatum p. 2. §. 2. censent, eum, qui aliquid promissit pro opere malo, quod legibus puniatur, ut pro homicidio, adulterio, furto, & similibus, non teneri ad adimplendum promissum eo etiam secuto; quare si aliquid acceptum fuerit pro aliquo simili crimine perpetrato, & non censeatur donatum, docet hæc sententia, id esse restituendum, vel ipsi, qui dedit, juxta Sotum, & Covarruviam, vel pauperibus, ut plures alii contendunt, quos citat Lessius cap. 14. dubitat. 8. num. 61. Certe, si fallor, hoc argumentum non minùs probat, obligationem restituendi, quando intercedit peccatum, quod à legibus non puniatur, quàm prober, quando intercedit peccatum, quod

à legibus puniatur: nam si pactum esset ab initio nullum, eò quod respiciat aliquid turpe, vel contra bonos mores, quod faciendum est, atque equam pactum vim obtineat. Argumentum eodem modo militat in utroque casu, imò probaret, quod pactum illud esset jure naturæ ab initio nullum, quæ duo Adversarii negant, unde tenentur argumento respondere. Pro illis ergo, & pro nobis

Resp. neg. ant. ad probat. dist. maj. est re ipsa nullum relatè ad obligandum alterum, ut faciat peccatum, conc. relatè ad obligandum alterum, ut det rem promissam, si peccatum factum fuerit, quod secum asserat aliquid pretio æstimabile, neg. maj. & distincta pariter min. neg. consequentiam. Ratio est, quia illud pactum dupliciter considerari potest; primò quidem in ordine ad obligandum alterum ad peccandum, & juxta istam considerationem contractus esset ab initio nullus, semperque esset nullus, cum nunquam possit alterum obligare ad peccandum. Secundò considerari potest in ordine ad dandum pro aliquo pretio æstimabili pretium promissum, quando jam præsupponatur peccatum, & pretium dari possit sine peccato, & in hoc sensu contractus non fuit ab initio nullus, sed obtinebit vim ad obligandum sub ea hypothese, ut ex Jure Canonico, Civili, & naturali ratione patet in eo, qui sub conditione deflorationis promissit seminae matrimonium.

Illud enim pactum, licet non possit ab initio, nec unquam habere vim ad obligandum alterum ad peccandum, habet tamen ab initio vim ad obligandum ad matrimonium, si præcedat defloratio; unde contractus iste, quantum ad istum effectum non fuit ab initio nullus, quamvis debuisset statim annullari rescindendò contractum, & non peccandò; hæc enim duo, contractus nullus, & contractus annullandus, sunt toto cælo diversa, nam contractus nullus nullam continet vim; contractus verò annullandus vim continet, eamque retinet non annullatus. Quare ille Textus Juris Cap. 18. non dicit, quod contractus ejusmodi sint nulli, sed quod debeant annullari, & rescindi; in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Per quod innuitur, impleri conditionem, sub qua obligat, quando præsupponitur peccatum; unde addit: *impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur*, unde magis roboratur nostra doctrina, & legum expositio, quam dedimus num. 264. primam illam regulam 18. Juris in 6. Nota, quod à principio nullum est, jure ipso tractu temporis non convalescere; secus autem, si non esset nullum, sed annullandum.

Objicies 5. instandò iterum solutionem. Pactum dandi aliquid pro opere turpi, quantumcumque asserat aliquid pretio æstimabile, adhuc post perpetratum peccatum est jure naturæ invalidum, saltem si illud opus turpe fuit circa iustitiam: ergo non potest iuste retineri, sed potius debet restitui, quod ex tali pacto acceptum fuit. Probat maj. ex August. Epist. 45. ad Mace-

Macedonium, ubi ait: *Verumtamen si iustitia sincerius consulatur, iustus dicitur Advocato, redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfueris, Iudicem fefellisti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti, & postquam expoliuit obligationem Advocati, subiungit, quis tamen Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo dicat, recipe, quod mihi, cum tibi male adesset, dedisti, & redde Adversario tuo, quod me agente inique abstulisti, & tamen quem prioris non recta vita rectissime poenitet, & hoc facere debet, ut si ille, qui inique ligavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem ejus, tamen iniquitatis nolit ipse habere mercedem; sed hæc vera non essent, nisi pactum illud adhuc ad inducendam obligationem post perpetratum peccatum esset jure naturæ ab initio nullum: ergo &c.*

297. Testimonium istud Augustini difficillimum esse fatentur ingenuè Valquez lib. 6. de restit. dub. 4. num. 28. & Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 3. num. 56. at valde diversus est Augustini sensus in eo testimonio, & potius confirmat, quæ supra diximus. Etenim in eo testimonio non loquitur de iustitia, attento duntaxat jure naturali, sed attento jure positivo sui temporis, illiusque Regionis, in qua degebat, atque ex illis obligat Advocatum ad restituendum, quæ acceperat, ut contra jus alterius procederet. In Regno Castellæ, ut ait Valquez cap. 6. sunt leges taxantes Advocato stipendia. Idem dicendum de legibus, quæ vigeant tempore Augustini in Regione sua. Ex his autem legibus facile intelligitur, adesse pactum implicitum, vel explicitum cum Republica, ne Advocatus possit validè accipere ex contractu quidquam aliud ultra stipendium assignatum, proinde si recipiat non solum pro iustitia, sed etiam pro iniustitia, tenebitur ad restitutionem. Nos autem non loquimur de jure municipali, sed de jure naturæ, & Imperiali, & Civili.

298. Resp. neg. ant. ad probat. conc. & neg. min. Ratio est, quia Augustinus in eo Textu non loquitur de jure naturæ, aut Imperiali, sed de jure municipali, seu Regionis, ut constat ex textu, qui ita prosequitur, *nisi fortè restituendum est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur decepto Iudice, & circumventis legibus obinetur.* Quod autem loquatur de illis legibus particularibus positivis, & non de jure naturæ, constat ex eodem textu, in quo invehitur contra eas leges, quia permittebant usuras, & sic non erat tribunal, in quo Iudex cogeret usurarium ad restituendum usuras; ad has enim restituendas certè cogit jus naturæ, cum prohibet, ut aliquis lucrum habeat ex re non sua; ex quo apparet, quod ibi Augustinus non loquitur de jure naturali, sed de illis legibus positivis. En ejus verba: *Quid dicam de usuris, quas & leges, & Iudices reddi jubent, an crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit Diviti, quam qui trucidat pauperem sanore? hæc atque similia*

male utique possidentur, & vellem, ut restituerentur, sed non est, quo Iudice repetantur. Ex quo etiam apparet, non posse aliquem iuste accipere, etiam quando leges civiles invalidant contractum, bene verò, si contractum illum nullæ leges invalident, cumque non invalident contractum, de quo agimus, exinde ex Augustino potest validè accipi id, ad quod obligat talis contractus.

Objicies 8. Quando accipitur aliquid post peccatum contra iustitiam, injustè accipitur: ergo debet restitui. Confirmatur 1. Qui post peccatum dat, vel accipit aliquid propter delectabilem voluptatem, non ut aliquid aliud approbat denuò tale peccatum, ac proinde peccat; atqui nemo potest obligari ad peccandum: ergo &c. Confirmatur 2. ex L. si ancillam C. de donationibus inter virum, & uxorem, ubi jubetur restitui ancilla militi, quam ipse dederat concubinario. En verba legis. *Si ancillam nummis tuis comparatam esse Presidi Provincia probaveris, donationis causa Vocario tuo nomine instrumentum emptionis esse conscriptum, eam tibi restitui jubebit:* ergo pactum dandi aliquid post perpetratum peccatum ab initio nullum est, ac proinde ad nihil obligat. Confirmatur 3. Quod simoniacè accipitur, debet statim restitui: ergo datio ob turpem causam perpetrata invalida quoque erit.

Resp. neg. ant. quia ille, qui accipit promissum pretium, eò quod interfecerit Petrum, licet commiserit peccatum contra iustitiam, teneaturque restituere damnum reparabile uxori, filiis &c. non peccavit contra iustitiam relatè ad illum, qui pretium promissit, neque peccat contra iustitiam exigendò ab illo, & accipiendò tale pretium; unde ille, qui promissit, nihil tenetur restituere. Ad primam confirmationem neg. maj. ille enim, qui post perpetratum peccatum dat, & accipit pretium promissum, nequaquam approbat peccatum ex vi talis actionis dandi, vel recipiendi, cum possit in sensu composito illius dationis, vel acceptionis detestari peccatum commissum, atque dolere de illo, simulque velle observare, quod promissit dandò pretium, vel accipiendò, non quia placeat peccatum, sed quia placet fidelitas in promissis, vel lucrum, ad quod accipiendum nullum reperitur peccatum.

Ad secundam confirmationem conc. ant. nego consequentiam; quia in ea lega tantum conceditur militibus jus repetendi in iudicio, quod meretricibus donarunt, ut docet Lugo, & Lessius cap. 14. num. 58. Ex quo minimè sequitur, quod ante sententiam Iudicis debeat restitui, & quod non possit licitè retineri. Sic enim prosequitur ista lex: *nam licet cessante jure matrimonii donatio perfici potuerit, milites tamen meos à focariis hac ratione, scilicetque adulationibus spoliari nolo;* ubi Glossa, si aliàs dominiū transtuleret, sed hic propter militiam, secus. Imò ut probat Covarruvias, alii in foro externo coguntur solvere pretium meretrici. Denique in alijs

aliis delictis non conceditur adhuc in foro externo repetitio pretii sui illi, qui dedit. Sic L. 3. si. de conditione ob turpem causam, dicitur: ubi autem & dantis, & accipientis turpitudine versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, ut male iudicetur; & L. si ob turpem causam, porro autem, & si dantis, & accipientis turpis causa sit possessorem potiorum esse, & ideo repetitionem cessare, tamen si ex stipulatione solutum sit. Ex quibus, aliisque similibus legibus ait Lessius eodem. n. 58. satis probabile concluditur, posse ita retineri in conscientia, nisi per legitimam iudicis sententiam in penam delicti privetur possessor eo iure acquisito.

101. Ad tertiam confirmationem de pretio simoniace accepto in materia beneficiorum, conc. ant. & nego consequentiam, quia de tali pretio simoniace accepto extant leges Ecclesiasticæ obligantes ad restitutionem, quæ non est danda danti, sed Ecclesie, cum Ecclesia, & dantem, & accipientem punire intendat; at pro restitutione pretii ex aliis delictis non extant similes leges; unde Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 3. num. 69. neque etiam pretium simoniace acceptum debet restitui in omnibus materiis, sed solum in materia beneficiorum, ingressu religionis, & Ordinum, & cum aliis docet Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. rationem huius tradit Molina disp. 49. quia nempe res spiritualis, pro qua in simonia pretium accipitur, non est vendibilis, sed quemadmodum data gratis, ita iusta est a Christo gratis dari, quod non evenit in aliis.

102. Obijciens 9. præsertim contra quintam conclusionem, miles tenetur ex iustitia militare, & tamen potest exigere stipendium: ergo pro opere debito ex iustitia potest pretium exigere; proindeque exactio illa non debet censeri peccaminosa. Confirmatur 1. Licet alter debeat rem facere, vel omittere, non tenetur facere, vel omittere in tui gratiam: ergo ratione huius obsequii poterit aliquid sine peccato exigere, & accipere. Confirm. 2. Malum est, ut Sicarius committendo homicidium acquirit jus ad pecuniam promissam; sed hoc non obstante acquirit jus: ergo licet sit malum, quod aliquis acquirit male pretium propter ea, quæ tenetur aliunde facere, vel omittere, nihilominus pretium valide acquirit; ergo si Petrus ex pacto conferat 50. Paulo, ut litteras deferat Neapolim, potest insuper novum pretium accipere a Francisco, ut ejus quoque litteras deferat: ergo pro re, quæ tenetur quis aliunde facere, potest pretium iuste exigere.

103. Resp. dist. ant. tenetur ex iustitia militare, si

non sit illi constitutum stipendium, neg. si sit; conc. ant. & neg. consequentiam; quia miles in eo casu præter hoc stipendium non potest amplius exigere. Quare idem dicendum de iudice, aliisque officiis, quæ non sunt debita ex iustitia, nisi post contractum, quo illis stipendium iustum est promissum; ut dixi à num. 297. Ad primam confirmationem conc. ant. & neg. consequ. quia quando operatio, vel omissio secundum se est invendibilis, eo ipso manet invendibile obsequium, quo vel opus fiat, vel omissio fiat in tui gratiam, tunc enim tale obsequium non censetur dignum pretio apud homines, eo quod hominum commercium, regulamque recti, & boni perturbaret, viamque aperiret ad exigendum pretium pro mutuo ad contumelias usuras, aliisque contractus naturæ ut rationali difformes; posset enim usurarius aliquid exigere, quia in tui gratiam dat mutuum alteri, & collator beneficii, quia in tui gratiam confert beneficium illi, & non alteri, & iudex, quia in tui obsequium iustam sententiam profert. Hæc enim, & id genus alia ideo sunt naturæ ut rationali difformia, quia vendibile faciunt obsequium operis, vel omissionis, quæ aliunde ex iustitia debetur.

Ad secundam confirmationem neg. maj. quia licet sit malum, & detestabile, quod quis hominem occidat, cum facere hoc non possit, nisi peccando; at non est malum, neque detestabile, quod præsupposito jam peccato obliget pactum initum ad actionem, quæ sine ullo peccato exerceri potest. Sic fornicatio simplex sub onere contrahendi postea matrimonium mala est, & detestabilis: at præsupposito eo peccato, non est malum, & detestabile, quod promissio illa obliget ad contrahendum matrimonium. Ad tertiam confirmationem conc. ant. & neg. consequ. quia obligatio ferendi litteras Petri, non est obligatio ferendi litteras Francisci, neque cum ea incomparabilis; unde postquam ratione pretii contraxit unam obligationem cum Petro, potest ratione pretii contrahere aliam obligationem cum Francisco. Petrus enim non emit cursum, sed hanc obligationem ad cursum, ideoque vi illius pacti non habet jus proprietatis in cursum, neque impedire potest Paulum aliunde volens ire Neapolim, quin imò, si rescinderetur obligatio, & pactum illud cum Petro initum, non exinde rescinderetur altera obligatio, & pactum initum cum Francisco, cumque istæ obligationes sint inter se, & quoad earum substantiam distinctæ, & apud homines pretio æstimabiles, exinde sunt capaces pretii distincti. Verum de hoc iterum infra.

305.

